Quodlibetaria Quaestio agitanda In Scholis Medicorum die 15a Januarii.

M. Christophoro Balduino Moderatore.

An temperamenta signis deprehendi possint?

Elementorum qualitates inter se mutuo permiscentur omnino, eorundemque substantias adesse quidem, sed totas toties non confusas, ex huiusmodi mixtione temperamentorum octo genera nascuntur, nonum vero (quod medium vocari solet) in homine minus reperies, nec in isto quidem climate quod omnium est temperatissimum, ut vix reperias nullo sed certo sensu perpenderis, quas tamen partes functionibus suis ponderatas mixtiones nactas sunt temperatas dicimus: alias intemperatas, quarum intemperies morbosa est, si manifesto laedat functiones, seu quo aequalis sive inaequalis est, has contrariis emendari, illa nullo actu corrigi potest.

Sicut igitur partes ex functionibus discriminantur, ita temperamento distingui necesse est, cor calidissimum, hepar (vitae principium) caliditate, siccitateque cordi cedit, cerebrum utramque qualitatem agnoscit, quas vero partes sunt principes, ita non observas sui temperamenti notas adhibemus, neque partes tantum, sed humores quoque temperaturas variant, quas cum quatuor anni temporibus, diei partibus, aetatibus, elementis, temperamento consentire non minus verum, quam vulgatum est.

Temperatum hominem ostendunt mores mediocres, habitus corporis medius, color floridus albo rubroque commixtus, quantitas corporis moderata, partium corporis omnium exacta proportio, cuius pulchritudo comes est, actionum triplicium integritas, difficilis ab externis causis offensio, excrementa modice omnibus mediocria, pili modice crispi, aetate prima subrufi, succedentibus ad nigrorem usque vergentes, vix calvescentes, hoc autem totius corporis temperamentum, ex debitis partium praesertim principum temperaturis consurgit, quas si recedant ab optato temperamenti statu corpus immodicum variant.

Cor itaque suam temperiem in universum corpus maxime partium omnium diffundens, si calidius est habitum calidiorem reddens, latior etiam thorax, pectus hirsutum magis, in actionibus promptitudo, audacia, ira, pulsus, respiratioque maior: si siccius est suam quoque siccitatem in habitum corporis confert, pulsus etiam durus, ira tarda, sed saeva, et si quae alia ex siccitate sequuntur: si siccius et calidius est pectus et hypocondria maxime hirta, et ex coniunctas sunt qualitatum intemperantias, ita coniunctas habebunt notas, si contrariis erunt qualitatibus contraria expectanda sunt omnia, hepar cerebrumque ex sua intemperie cordis intemperiem quandoque retundunt.

Hepar frigidius sequuntur angustas venas, sanguis frigidior ac pituitosior, venter ac hypocondria glabra, totus habitus frigidior, pallidior, adiposior; si humidius est venae sunt molliores, sanguis copiosior ac humidior; si calidius si siccius contraria sequuntur omnia, cerebrum calidius addit ingenio, sensibus, motibusque celeritatem, somno, excrementisque detrahit, capillos ab initio tingit magis ac crispat, calvitiem accelerat venas, calorem, ruborem promit in faciem praesertim; si siccum est apprehensionem facit difficilem, memoriam fidelem, sensuum perspicuitatem, vigiliarum, motuumque promptitudinem, partium capitis gracilitatem, excrementa pauca, crispum capillitium, ortum calvitiem in temperamentis contrariis canities pone, quam calvitiem ceteraque contraria deprehenduntur. Temperati cerebri caput, quantitate moderatum est. Chiromantia in signis temperamentorum medico non negligenda, in reliquis vana est. Astrologia in his ac aliis permultis utilissima: Oromantia in his et reliquis omnibus futilis est, et sorti quam arti similior.

Itaque temperamenta signis deprehendi possunt.

Asserebat Lutetiae M. Joannes Magnienus Barroducensis A.R.S. M.D.XL.VI.

F.E.P. BIBLIOTHÈQUE